

**Specimen anatomico-pathologicum de vasis novis pseudomembranarum  
tam arteriosis et venosis quam lymphaticis / auctore A.F.H. de Lespinasse.**

**Contributors**

Lespinasse, Adolph Frederik Henri de, 1819-1881.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Daventriae : M. Ballot, 1842.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nchr44ky>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8  
SPECIMEN ANATOMICO-PATHOLOGICUM

DE

8  
VASIS NOVIS PSEUDOMEMBRANARUM

TAM ARTERIOSIS ET VENOSIS

QUAM

LYMPHATICIS,

CUM TABULA LITHOGRAPHICA.

AUCTORE

A. F. H. DE LESPINASSE,

MED. DOCT.

---

DAVENTRIAE,

APUD M. BALLOT. 1842.

---

Opinionum delet dies, naturae judicia confirmat.

CICERO, *de Nat. Deorum.*

---

P A T R I

CARISSIMO

**A. F. DE LESPINASSE,**  
*MEDICINAE DOCTORI, ETC.*

NEC NON

PRAECEPTORIBUS AESTUMATISSIMIS

SACRUM.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22357920>

## PRAEFATIO.

---

*Pauca hic dicenda habeo. Libellus, qui sequitur eo consilio scripsi, lauream doctoralem ambiens, ut legi satisfacerem. Est igitur specimen Academicum, quod sane multis locis lectori perspicuum erit. Illum autem cum publico communicare statui tam ob argumenti dignitatem et utilitatem, quam ob rerum aliquot contentarum novitatem, quae hic illic aliquid lucis forsitan afferre videantur, dubiaque tollere.*

*Insuper id feci, ut et alii rem inquirant, falsa rejiciant, accipiant laudanda. Caeteris enim indignis, id consilium bonum est, inquirere et scrutari ob veri desiderium.*

*Ante omnia vero praedicandum, plura hujus opusculi (suo loco collocata), me debere viro cla-*

---

*rissimo, Schroeder van der Kolk, Promotori aestumatissimo, qui semper aequali dignitate et humanitate optimum praeceptorem, fautorem, et, quod glorior, sese amicum mihi praestitit.*

*Caetera, quae in dissertationis praefatione dixi, erant novi doctoris, haec publici.*

D. L.

## INTRODUCTIO.

### § 1.

**I**nter medicinae hodiernae partes summi momenti omni jure scriptores referunt Anatomiam pathologicam, quippe quae multum contulit ad variorum morborum naturam clarius illustrandam, quam cadaverum sectionibus saepe vagis veterum licuerat. Et quamquam huic consilio ejus auxilium saepe non sufficere poterat, negari nequit, multa incerta ejus ope melius perspici, et aliis questionibus aditum ad alterius examen patefactum esse, ita ut nemo fere dubitet, quin plures, quos fecit medicina recentiore tempore, progressus huic egregiae adscribat scientiae (1). Non autem pono incultam illam, cui sufficiat dissecare et rudi manu inquirere cadavera (2). Qua sorte, uti in initio

(1) Confer. THOMAS HODGKIN, lectures on the morbid anatomy of the serous and mucous membranes; 1836, qui in I lecteone summam anatomiae auctoritatem fuse vindicat.

(2) Cf. SCHROED. v. D. KOLK observationes anatomico-pathologicae et practici argumenti fasc. I 1826 pag. 3.



omnes, etiam nostra disciplina cogi solebat, et nunc etiam saepius, quam par est, cogitur: — verum scalpellum anatomicum subtili manu directum partes teneriores eadem cura, qua quae facile et brevi inveniuntur, inquirere decet, ut dubia amoveantur, nec pro dubiis nova dubia sese offerant (1). Diversis methodis, sese in hac arte exercendi, uti solent, quarum autem non una tantum adhibeatur, aliis neglectis; nisi ad imperfectam cognitionem pervenire nobis sufficiat.

Ita sunt, quibus cadavere aperto omnia absoluta videntur, modo vestigia morbi rudiora offendant, quibus organismus mutatus appareat. — Inde prodire errores, qui effectum materiale morbi naturam aut morbum ipsum ponunt.

Alii vero ruborem organorum sive majorem sive minorem unice inquirent, adspiciunt, caeterorumque fundamentum putant. Quo factum est, ut multi sibi persuasum habeant, praeter inflammationem nullum existere morbum, vestigiisque levioribus hoc satis probari, ubi post mortem Anatiomia Pathologica verae Inflammationis praesentiam ostendere non potuit.

Cum igitur tam difficulter institui possint accuratae in cadavere inquisitiones, et ad hunc scopum in usum vocari fere tantum visus tactusque auxilia; ea omnia, quae accedere possunt et examen magis firmum, rationique consentaneum reddere, magnopere laudanda videntur.

Inter methodos, quas peregrini tam Germani quam Franco-galli praecipue in rebus Pathologicis nimis neglexerunt (2) ea est censenda, quae prudenti et subtili inpletione dubia solvere conatur.

(1) Cf. SCHROEDER V. D. K. oratio de anatomiae pathologicae praecipue subtilioris studio, etc. Traj. ad Rhen. 1827 pag. 18.

(2) Quo de argumento etiam inveniuntur in oratione jam citata cl.

Non opus est, ut utilitatem harum inpletionum praedicem, sed in memoriam revocare liceat, patres nostros suo aevo, uti in omnibus ante omnes, sic et in hac arte excelluisse, nobisque pulcherrima reliquisse specimina, quorum Ruy-schiana superant, quae unquam quis confecerit.

Nostrates autem semper hanc artem colere assueverunt, et memores eorum, quae patres praestiterant, incolumem servarunt.

## § 2.

Si porro, quos fecit ulteriore tempore medicina progressus, consideremus, nullorum morborum cognitioni tam favuisse videmus Anatomiae pathologicae studium, quam inflammationum (2).

Plura vero, quamvis jam multa invenerint praesertim de vario ilorum exitu, nondum rite cognita sunt, sed obscuris plena. Haud alienum, tale iudicium etiam ferre de iis, quae apud auctores de exsudatione, secretione lymphae coagulabilis, et speciatim de pseudomembranarum origine et formatione ulteriore leguntur, cum apud plures senten-

---

SCHR. v. D. KOLK, pag. 23, ubi inquit: Quin et vitiorum chronicorum indagacionem adeo neglectam dolemus, ut inter plurima, eaque locupletissima Musea, quotquot apud exteros videre contigit, inter insignem speciminum pathologicorum vix ullum inveni-erim, in quo texturam subtiliorem vasis sanguiferis arte impletis vel accurata disquisitione exploratam viderim.

(1) Sententiae vero Cruveilhieri assentire non audeo dicentis: Aussi remarquez que, dans l'état actuel de la science l'anatomie ne nous a guère servi, que pour les inflammations, qui sont le resultat d'une fluxion sanguine, et qui requièrent en général les antiphlogistiques. Vid. dict. de médecine et de chirurgie pratiques, 1837. art. Anatomie pathologique par Cruveilhier pag. 120.

tias saepe contrarias et sibi manifeste adversarias invenerim.

Haec omnia, cum scribere de novis vasis in pseudomembranis promotor aestumatissimus suasisset, qui multa eaque egregia specimina vasorum in pseudomembranis confecit, operam difficiliorem viresque longe superantem reddere, ex intimo animo mihi persuasum habui.

Quod eo magis, cum arctum spatium haud permittat, nec virium imbecillitas, nec tempus angustum variorum sententias omnes de pseudomembranis colligere et comparare. Earum historiam autem non praeterire penitus possum, quippe quae arctis vinculis cum materia tractanda cohaereat.

Quae cum ita sint de iis, quae dixi, multo etiam magis valent de ipsa origine et accurato vasorum examine, quae in pseudomembranis occurrunt.

Sequens itaque speciminis divisio consilio plurimum respondere mihi visa est.

**PRIMO CAPITE** explicare conabor locum et rationem, qua pseudomembranae inveniuntur.

**SECUNDO** quaedam disponere de vasis novis et hunc in finem afferre recentiorum de eis sententias.

**TERTIO** tradere descriptionem vasorum, eorum originem et conformationem ulteriorem.

Nec quis, his expositis, admodum miretur, me incepisse ab auctoritate ipsius Anatomiae pathologicae ejusque subtilioris studii tradenda: nihil, quam hoc magis contulit, ut materia, de qua scribere mihi proposui, recte exponatur et intelligi possit. Neque dubitare quidem licet, si tantummodo colligamus veterum sententias de pseudomembranarum historia, quas vix cognoverint.

Ita exempli gratia pseudomembranas ex pleuritide ortas ipsius pulmonis habebant ligamenta (1).

(1) Vid. Cruveilh. essai sur l'Anatomie path. en général. Par. 1816. II pag. 160.

Adhaesiones rugosas pericardii inflammatione productas ob singularem adspexit eos ita comovisse ait Cruveilhier, ut inde nata videatur fabula, cui placuit, viris celebribus, nec non sceleratis cor gratificari hirsutum (1).

Ne dicamus de iis, quae ab auctoribus relata reperiuntur de pericardio deficiente, ubi tantum cum corde concretum esset (2).

---

(1) Vid. Cruveilh. dict. de Med. etc. art. citat. pag. 90.

(2) Plures vero rite inter accretionem accidentalem et defectum hujus membranae distinxerunt. Ita exempla veri defectus primus COLOMBUS, porro BARTHOLIN, VIEUSSENS, BAILLIE, aliique retulerunt. M. BRECHET recentiori tempore specimen accurate descripsit: repertoire d'anatomie et de physiologie pathologiques. Hoc de argumento etiam videatur TH. HODGKIN in opere citat. lect. IV. pag. 90. Dr. A. W. OTTO, *lehrbuch der pathologischen anatomie* I. 94. § 79. Dinkler in Sandifort, *natuur- en geneeskundige bibliotheek*. vol. I pag. 661. Cf. G. BUTTNER *anatomische Wahrnehmungen*, Königsberg 1769, 4. pag. 36. KLUISKENS. Ned. Koninkl. Institut.

## CAPUT I.

### *De loco et ratione, qua pseumembranae inveniuntur.*

#### § 1.

**P**seudomembranae in omnibus fere organis, quae inflammatione corripri possunt, occasione data, observantur; praesertim autem in variis membranarum speciebus et vulneribus. Omnis adhaesio sc. ope pseudomembranarum peragitur. Contrariam quidem sententiam exhibuerunt FAUDACQ (1), EITING (2), J. HUNTER (3), J. BELL (4), aliique, qui statuunt, vasa primo dissecta in reunione anastomosi uniri posse; sed eorum opinionem satis refu-

(1) *Traité sur les plaies*. Paris. 1732. 8. p. 42.

(2) *Diss. de consolidatione vulnerum c. deperditione substantiae*  
*Arg.* 1770. 4. § 9.

(3) *Treattse on the blood, inflammation and gun-shot-wounds*.  
London 1794.

(4) *Cases in Surgery*. Edimb. 1787. 8. p. 82.

tavit FR. PAULUS (1), dicens: vas enim dissectum, retrahendo, ac contrahendo, coagulum formando clausum, nunquam vim nanciscitur, cum ore priore se reuniendi, ita ut circulus sanguinis in eodem modo progrediatur, ut antea. Utut quamque inflammationem secretio sequitur, ita et hic, simulac vulneris ora reunita sunt, lymphæ plastica ab utroque latere emanans, sese interponit.

Praeterea luculenter probaverunt investigationes ulteriores istam opinionem esse falsam; sic Nepple anno 1812 contendit, in reunione vulnerum labia affigi humore exsudato, quod in pseudomembranam mutetur (2). Idem BRACHET et MONTFALCON, qui haec affirmat, Dupuytrenii experimentis nitens: il n'y a point de réunion immédiate rigoureusement parlant; il n'y a point contact intime, continuité des divers tissus, qui ont été divisés, mais toujours création d'une substance intermédiaire.

— Inter omnes, pseudomembranae frequentissime in serosis occurrunt; quae fortasse sua conditione anatomica et physiologica facilius et saepius illo gradu inflammationis afficiuntur, quo pseudomembranae oriri solent. Nam gradum majorem sive minorem multum ad eas formandas conferre, postea fusius demonstrandum erit.

Sic pseudomembranas in arachnoidea, pleura, pericardio, peritoneo, tunica vaginali, membranis synovialibus invenerunt.

Quod arachnoideae pseudomembranas, jam M. STOLL (3) enarrat, post phrenitidem lympham coagulabilem intra

(1) *Commentatio Physiologico chirurgica de vulneribus sanandis.* Gottingae, 1825. pag. 18. § 32.

(2) Vid. *Dissertat. de physiologie pathologique sur les fausses membranes et les adhérences.* Paris. 1812.

(3) *Aphorism. de cognoscendis et curandis febrilibus.* Lugd. Bat. 1788. pag. 15. § 73.

meninges transsudare, morbumque abire in maniam insanabilem, meningibus duris, incrassatis, *concretis*; quo in casu et arachnitis adfuisse videtur, quae pseudomembranas produxerit, quibus accretio perficeretur. Sömmering similes membranas arachnitide productas ulterius examinavit; nunc pulposas, nunc gelatinosas, sed fere semper vasculosas invenit; et vascula semel implere ei contigit (1).

In arachnitide externa cerebri, producere solet serum purius inflammatio, quam in aliis serosis; — in quarum membranarum cavitate inflammationis productum plerumque offendimus; rarissime vero hoc in arachnoideae inflammatione, de qua sermo est, accidit (2). Interdum autem intra hanc partem, quae duram matrem obvestit, et eam reperitur, quae proxima est piae meningi, ubi cerebrum obtegit. — Villermé etiam testatur, se hujus speciei exemplum nunquam vidisse. Quin rarissima sunt exempla, in quibus pseudomembranas intra glabras arachnoideae superficies offenderint; nisi inflammationem causa traumatica provocaverit.

Verum TH. HODGKIN sequentia narrat: Yet we both infer, from analogy, that such a deposit may take place without being the result of external injury; and we have also authority for stating, that it has actually been observed. I had myself long been fruitlessly seeking for an exemple, not traumatic, of this form of arachnitis, when a case of the kind presented itself (3). ROSTAN in Salpé-

(1) Vid. J. G. ROOZEBOOM. *Specimen anatomico-pathologicum de pseudomembranis*. 1832. pag. 6. Ubi etiam commemorat, quae Laennec reperisse testatur in ejusmodi casibus; quod legitur in hujus opere: *de l'auscultation médiate* etc. T. I. pag. 80 § 104. observ. 5. Porro. — pag. 99. obs. II. p. 68. seq.

(2) Quae omnia probare conatur TH. HODGK. libr. Cit. lect. III.

(3) Quam historiam conscripsit in libr. citat. Lect. III. p. 69.

trière idem observavit. FOVILLE 6 casus commemorat, hujus arachnitidis speciei, qui omne tollunt dubium (1). Post arachnitidem ventriculorum raro invenerunt pseudomembranas; affirmat vero TH. HODGKIN, eas esse reperitas praecipue inter corpus striatum et partem ventriculi oppositam (2) (3).

De arachnoidea medullae spinalis idem affirmari potest, cum fila morbosae naturae, quae multo nomine cum pseudomembranis convenirent, saepius promotor aestumatissimus in medulla spinali invenerit (4).

De pseudomembranis in pleurae cavitate, quarum multa exempla apud omnes fere auctores leguntur, ubi de cadaverum sectionibus agunt illorum, qui pleuritidi aut phthisi pulmonali succubuerunt, vix requiritur ut dicam.

Et qui semel hujus cadavera adspexerit, numerum membranarum mirari debet pleuram costalem inter et pulmonalem, ita ut facilius a pulmone seu costis, quam a se invicem dilacerari possint; — nec minus naturae sapientiam, quae succurrit, ubi penitus sanare nequit. — Monente enim HOPE (5) finis naturae esset in pseudomembranarum generatione, ut partes inflammatas conglutenet et connectat, et ita ulteriorem nocivam

(1) *Dict. cit. art. meningite.* pag. 1430.

(2) TH. HODGK. *Libr. cit.* Lect. III. pag. 79.

(3) Cl. PROMOTOR mecum communicavit, se egregium specimen arachnitidis cerebri ex infante Heidelbergae vidisse cujus vasa nova eleganter erant impleta. Ipse etiam specimen conservat arachnitidis post typhum e puella, in quo nova vasa quadam materie rubra implevit.

(4) Cf. *Specimen de subt. membr. ser. fabrica.* auct. J. KOKER. Tr. ad Rh. 1828. p. 12. q 13. SCHRÖDER v. d. KOLK. I. *Cit.* pag. 162 et 166. *de hydrothorace.*

(5) Vid. HOPE, *Diseases of the heart.*



seri exsudationem, qua partes reprimuntur, impediat, et avertat. Illis porro pseudomembranis formatis, circulationem minorem consumptione pulmonis adeo difficilem, saltem pro parte restitui, docuit promotor aestumatissimus (1).

Coeterum inter multos, quae hoc demonstrarunt, membranas formari in cavo pleurae commemorarunt MORGAGNI (2), M. STOLL (3) aliique. Cruveilhier specifico titulo pleuritidem pseudomembranosam agnoscit, et fuse demonstravit, membranas ea ortas offerre, 1° dispositionem quam dixit stratiformem; 2°. consistentiam inaequalem in diversis stratis, adeo ut haec eo minus inter se cohereant, quo magis ab ipsa pleurae membrana distent (4).

Saepe post pericardititem etiam adhaesiones pericardii oriuntur; quarum quatuor genera observavit Bichat. Interdum membranae adeo erant concretae, ut pericardium penitus deesse videretur (5). In secundo genere adhaesio non erat perfecta. In tertio multa filamenta inveniebantur, et in quarto laminae breves et membranaceae. Quantitas absoluta materiae pseudomembranosae, quae post pericardititem offendi solet, magnopere differre potest; nunc pondus 2 granorum, nunc plurium unciarum adaequat. Crassitudo etiam membranarum inaequalis; qua de re af-

---

(1) *Libr. citat.* p. 84. seq.

(2) Cf. *Morg. de Sede et Causis morb. per Anat. indag. Ebroduni in Helv.* 1779. Ep. XX. art. 47.

(3) M. STOLL. *Rat. med.* T. II. p. 376 390 seq. Id. *Script. in aphor. citat.* § 220, 221, 222, pag. 53. 54.

(4) *Dict. cit. art. pleurésie a CRUVEILH.* pag. 1702.

(5) E. SANDIFORT, *Observ. anatomico-pathologicae.* Libr. I. pag. 9. libr. IV. pag. 109. — *Exercitationes.* libr. II. pag. 66.

firmat J. BOUILLAUD : Son épaisseur varie en général, entre une fraction de ligne, et dix à doux lignes (1).

Superficies pseudomembranarum libera singulariter saepe disposita est, ita ut summus vir Corvisart eam comparaverit cum vituli secundi ventriculi superficie interna. M. HOPE, ait BOUILLAUD : l'a comparée avec assez de bonheur, à ce qu'on observe, lorsqu'on vient à séparer deux assiettes plates, qu'on avait appliquées l'une contre l'autre, après les avoir préliminairement enduites de beurre mou.

Cum igitur viderimus et in arachnoideae et in pleurae, et in pericardii inflammatione oriri posse pseudomembranas, a priori jam idem affirmare licet, de peritonaeo, in quo revera, pleurâ exceptâ, plurimas invenerint Pathologi.

— Saepe viscera abdominalia pro parte inter sese concreta post mortem offendimus; rarius vero intestina, omentum, cum diaphragmate aut integumentis communibus; ita ut formetur quasi globus vel massa, cujus partes constituentes nullo modo sine dilaceratione a se invicem separari possunt (2).

F. C. SEEGER (3), praeterea plures auctores enumerat, qui hoc de argumento scripto mandarunt: sic SANDIFORT (4), WENSEL (5), VOGEL (6), aliique. Plures casus etiam de-

(1) Cf. etiam MATHÉW BAILLIE; *Anat. des Krankhaften Baues, aus dem Englischen von S. Th. SÖMMERING.* pag. 4.

(2) Vide ROOSEBOOM. *Diss. cit.* pag. 17. — VILLERMÉ, *traité des fausses membranes.* pag. 41. — Post peritonitidem puerperalem plus quam semel intestina fere ubicunque tecta vidi lymphâ plastica, tenaciter visceribus adhaerente.

(3) *Commentatio ad question. med. de peritoneo in Acad. Lovan. premio ornat.* 1833. p. 58.

(4) SANDIFORT. L. 3. E. 5.

(5) *Krankheiten des Uterus.* pag. 34. tab. 3.

(6) VOGEL. pag. 276. 334.

scribit TH. HODGKIN (1). Caeterum vix loquar, de membranis, quae ad abdomen herniis (2), abcessibus, aliisque causis produci possunt. Superesset autem dicere de praesentia pseudomembranarum in tunica vaginali, sed curatio hydroceles radicalis, injectione, incisione, seu alia methodo, quibus inflammatio plastica excitetur, rem explicat.

DUPUYTREN tandem membranas spurias in synovialibus invenit, praesertim in articulo genu (3). Idem CRUVEILHIER et MOFFAIT (4).

Interdum etiam in membranas mucosis generari, ex observationibus argumentisque multorum scriptorum patere videtur; ita ut vix in dubium vocari possit. — Tales pseudomembranas viderunt NYSSEN, GENDRIN, DUPUYTREN, VILLERMÉ, et apud nostrates THYSSEN (5), qui historiam morbi viduae retulit, quae pseudomembranaceae materiae duas libras in spatio trium mensium per alvum deposuisset: postea vero tam tonicis, quam stypticis sanitatem recuperasset; dubitandum vero, num talis materies cum pseudomembranis veris comperari possit; videtur enim ex mucositate inspistato forsitan cum albumine commixto constituisse (6). Mucus enim, (ut et auctor ipse agnoscit), exsiccatus saepe formam pellicularum refert, quas facile mem-

---

(1) Vid. *l. cit.* lect. VI. pag. 140. seq.

(2) CRUVEILHIER, *traité d'Anat. Path.* II. pag. 332 seq.

(3) Vid. ROOSEBOOM, *Diss. cit.* pag. 21.

(4) Cl. PROMOTOR, mecum communicavit se aliquando in cavo tympani etiam pseudomembranas deprehendisse.

(5) *Over de vorming van Schijnvliezen door* H. F. THYSSEN. *Eerste Klasse van het Kon. Ned. Instituut. Nieuwe Verhandelingen.* II Deel. 1828.

(6) *Opere cit.* pag. 12.

branas novas salutaris, nec autem ex lymphâ plastica inflammationis producta, conformatae sunt (1).

Sententia eorum, qui credunt, pseudomembranas tantum post mucosae ipsius destructionem fieri, quod iis formandis ipsa muci secretio impedimentum sit, non adeo improbanda videretur; — nisi breve tempus, quo saepe oriuntur, impediret, quo minus haec opinio ante omnes acciperetur. Exemplo sint angina exsudativa, aphtae, etc.; quas ultimas ad pseudomembranas referunt, inter quos OTTO, Lelut, aliique (2).

Et, etiamsi mucosa, ubi pseudomembranae adsunt, saepe destructa occurrat, hoc tantum probat, hasce ibi etiam oriri posse, ubi mucosa destructa sit: verum tubas Falloppianas concretas invenerunt plures, ut inde foecundatio et graviditas penitus excludantur (3). Promotor aest. etiam duo hujus conditionis specimina in collectione sua Pathologica conservat, quibus extra omne dubium ponitur. — Si porro mucosa tam novarum mem-

(1) L. CH. ROCHE. Speciali titulo gastro-enteritidem membranaceam distinguit; cujus causae propriae, et symptomata diagnostica latent. — In cadaveribus membranam gastro-intestinalem a cardia usque ad anam obiectam exsudato membranaceo solido invenerunt BROUSSAIS, BULLIER. — Saepius vero pseudomembranae partem intestinorum tantum occupabant. Hujus exempla protulerunt ANDRAL, BROUSSAIS, BRETONNEAU, GUERSENT, GUIBERT, LOUIS. — L. CH. ROCHE hunc morbum cum angina polyposa comparat, et ad eandem naturam pertinere, credit. Vid. *Dict. cit. Art. gastro-enterite.* pag. 1092. L. CH. ROCHE.

(2) A. W. OTTO. *Libr. cit.* I. 6. § 85. pag. 99.

Lelut, *Mémoire sur le muguet dans le répertoire général d'Anat. et Physiol. Pathol.* T. III. P. I. pag. 145.

M. BAILLIE, *Anatomie der Krankhaften Baues*, etc.; aus dem Englischen von S. TH. SÖMMERING. Berlin, 1794. pag. 50.

(3) ROOSEBOOM. *Diss. cit.* pag. 19.

brantarum origini obesset, quomodo in uteri cavitate nasceretur epichorion, seu membrana decidua Hunteri, quam CHAUSSIER (1) et in graviditate tubaria non desiderari vidit (2).

Ergo membranas spurias etiam in mucosis, licet rarius occurrere omnes fere hujus aevi conveniunt.

## § 2.

Inflammationem vario differre exitu quotidie docet experientia; ita abit in resolutionem, in exsudationem lymphae, in suppurationem, in gangraenam (3). Exitus, cuius sub forma inflammatio pergit, duplici modo dirigitur, primo ipsius inflammationis gradu, secundo diversa corporis affecti structura et functione. Accedit nervorum actio (4).

Simplex observatio jam demonstrat, quid gradus inflammationis ipsius exitui tribuat. Ita, si in medio tumoris inflammatorii secernitur pus, ad margines lymphae plastica deponitur; quae eo magis serosa fit, quo longius ab inflammatisnis foco exsudatur. In ambitu mali tandem, unice adest rubedo, et simplex vasorum congestio.

Similis ratio post vesicatorium applicatum obtinet. In

---

(1) Chaussier, bulletin de la faculté de Médecine, No. VI.

(2) Quale etiam specimen elegantissimum, cujus vasa sanguifera subtiliter inplevit, mihi monstravit Promotor, in quo membrana decidua tubae Fallopii arcte intus adhaeret; in hoc specimine membrana mucosa uteri quidem est multo crassior venis adimpletis penitus coerulea; deciduae autem vestigium in ipsa uteri cavitate nullum apparet.

(3) Exitus, quos etiam nonnulli commemorant, in emollitionem, et indurationem huc referri non debent: sunt enim sequelae exsudationis ejusque in organismum effectus et igitur quasi exitus secundarii.

(4) Vid. SCHR. v. D. K. I. cit. pag. 21 23. seq.

initio rubor, calor, tumor. Sequitur seri exsudatio, et si inflammatio procedit, suppuratio tandem incipit.

Serosas serum secernere, periostium osseam materiem, mucosas mucum docet Physiologia; quae secretiones vero durante inflammatione mutantur, ita tamen, ut eo magis ad normales accedant, quo minor sit inflammationis vehementia. Eas autem, quae a vasis ex sanguine parantur, etiam in sanguinem agere partis affectae, et post aliquot tempus in omnem sanguinem, nec non in ipsum inflammationis processum facile inde efficimus. Quare enim mucosae inflammatio vulgo minoris momenti est, quam pleurae aliarumque membranarum? Quod mucus insigni copia secretus magnas partes agat in resolutionem morbi, et facile e corpore educi possit.

Ultimo loco accedit nervorum actio, quorum affectionem morbosam multum valere ad inflammationis cursum, et solitos exitus mutandos luculenter probavere cl. promotor (1) aliique.

Quibus praemissis liquet, tantummodo secerni lympham plasticam, ex qua pseudomembranae formentur, post inflammationis gradum modicum, et quasi deservinatum.

Multae propositae sunt de pseudomembranarum genesi theoriae; attamen vera hujus ratio admodum latere videtur.

Inter recentiores, qui de hoc argumento imprimis optime meriti sunt, referendus est cl. Dupuytren, cujus theoriam, illo duce, exposuit discipulus Villermé (2).

(1) SCHR. v. D. K. oper. cit. pag. 37 seq.

(2) J. E. DEZEIMERIS mémoire présenté au concours ouvert devant l'académie royale de medecine, etc. 1829 pag. 22.

ROOSEBOOM diss. cit. p. 46. seq.

Dupuytren propositions sur quelques points d'Anatomie, de Physiologie et d'Anatomie pathologique présentées à l'école de Médecine de Paris en l'an 12.

Quatuor posuit Dupuytren stadia, quae distingui in pseudomembranarum formatione debent. Stadium originis, incrementi, organisationis, et conversionis in telam cellularem.

In prima periodo serosae vasa sanguifera magno numero valde repleta sunt. Ubi gravior est inflammatio, ibi puncta prodeunt, parva, discreta, confluentia, villosa, pultacea, albida, brevia. Haec, dum ad sese accedunt, formant rete, seu pelliculam tenuissimam, cujus altera superficies membranae serosae adhaeret, altera libere in ejus cavitate relinquitur. Serum exsudatum nondum secundum illos mutatum apparet, licet certe jam plus albuminis contineat; postea vero pellucidum manet multis flocculis, in eo dispersis, qui ex villis, trituratione detractis, consistere videntur.

In secunda periodo pseudomembranae crassitudinem adipiscuntur majorem, consistentiam, elasticitatem et cum serosis aliquantulum cohaerere incipiunt, licet non penitus cum iis confluant.

Interdum membrana nova fit pulposa, fragilis et caseosa; serumque exsudatum sursum magis turbidum et lacteum, sive purulentum. Quaelibet varietas intermedia accidere potest inter parvos flocculos abortos, quibus lacteus producitur fluidi aspectus, et inter perfectas pseudomembranas.

Hac periodo ad finem vergente, pseudomembranae non amplius villos ostendunt, sed fiunt homogeneae quoad texturam, coloris aliquantulum flavescentis, in dies tenacius serosae adhaerentes.

In tertia periodo densitatem nanciscuntur materiae cardaceae. Symptoma porro evidentissimum est novorum vasorum formatio, cum quorum origine hanc periodum incipere, docet Villermé: quo de argumento autem capite II fusius agendum erit.

---

Villermé, l. c. pag. 12. seq.

TH. HUDGKIN l. c. Lect. II. pag 39 seq.

Quarta periodo pristinam formam amittunt pseudomembranae, et tenuiores, pellucidae, porosae fiunt, donec tandem telae cellularis contextum ostendant (1).

Dupuytren et Villermé credunt, coagulabilem materiam non in telam cellularem mutari, sed hanc primariam substantiam, quam verum pus habeant organisatione procedente, postea absorberi, ejusque in loco membranam cellularem deponi, cujus partes constituentes, formentur actione novorum vasorum.

(1) E quibus jam a priori sequitur, morbis et imprimis iis, quibus tela cellularis et membranae serosae obnoxiae sint, etiam pseudomembranas corripere posse. Sic Villermé (l. c. pag. 30) in pseudomembranis inflammationem ope acidi sulphurici excitavit. — Porro Cruveilhier, aliique pseudomembranas, tuberculis oppletas, plures, easque semicartilagineas invenerunt. — In cadavere hydrotorace mortui, ubi insignis seri copia aderat tam in pleurae, quam pericardii cavitate, inveni pseudomembranas, praesertim inter pulmonum lobos, quae sero tensae et oppletae erant — Talem conditionem, si nomen quaereretur, jure hydropem pseudomembranarum significarem. Membranae erant durae, quasi fibrosae, et uti in phthisicis occurrunt. Pulmones sani, sed emphysemate affecti. — Membranae haud recentes videbantur, vasa sine injectione optime perspiciebantur. Serum in illis penetrasse inbibitione vera, non verosimile, cum in tribus tantum serum contineretur, dum aliae, aequae conformatae, non impletae essent. Quaererem insuper, si serum in pseudomembranis penetrasset post mortem, cur non guttula quidem in pulmonibus aderat, qui aequae per duos dies fuerant submersi. Si pleuram serum penetrare non potest, pseudomembranas organisatione gaudentes, etiam vera inbibitione sero non impleri, concludo. Quod ultimum argumentum eo confirmatur, quod pseudomembranae tantum recentiores, et nondum organisatae in ictero colore tinguntur. vid. Hudgk. l. c. lect. II, pag. 55. Pseudomembranas penitus conformatas flavo sero non tingi ipsi mihi observare licuit.



Et haec sunt praecipua paucis verbis exposita, quae hac de re protulerunt Dupuytren et Villermé; et quamvis summo et accuratissimo examine rem tractaverint, haud assentiendum esse credo opinioni praecipuae, quam ambo proposuerunt de relatione, quam conditiones, quas descriperunt, inter se ostenderent.

Difficile enim intellectu, quid de proprietatibus puris, seu secretionis purulentae, quibus pus in materiam organicam commutari posset, sentiendum sit.

Nonne pus ad excretionem potius, quam ad secretionem pertinet? An abcessus sanantur, antequam pus evacuetur? Nonne curatio valde retardatur, nisi e corpore egredi possit? Si pus et lympa coagulabilis ejusdem essent naturae, cur non concrevit abcessus, pure impletus; cur sibi saepe pus exitum parat, integumenta perforando?

Insuper lympa est limpida, pellucida, flavescens et aeri exposita visciditatem contrahit insignem, et exsiccata in crustas denique abit (1).

Kaltenbrunner etiam haec monet: pus et lympa valde inter se confundi solent; sed eodem differunt inter se modo insigni, quo inflammatio suppuratoria a sanante differt. Pus et lympa transeunt quidem inter se, sed se invicem excludunt; nam sicuti pus ad stadium suppurationis, ita lympa ad stadium sanationis pertinet, et ambo sub conditionibus toto coelo diversis excoluntur (2).

Plura praeterea movit in hanc Dupuytrenii theoriam Th. Hudgkin, sed si justum ferre volumus suffragium, concedendum est, Dupuytren et Villermé omnino distinguere inter

(1) Cf. G. KALTENBRUNNER, experimenta circa statum sanguinis et vasorum in infl. 1826. pag. 22 § 103.

(2) G. KALTENBRUNNER, l. cit. § 22 § 104.

pus concrecibile et non concrecibile, ita ut discrimen magis contra denominationem, quam contra rem ipsam pugnare videatur (1). Attamen nomen lymphæ plasticæ magis convenit, ne confusio oriatur, cui revera Dupuytren, Laennec, Home, aliique ansam præbuerunt.

Insuper contendit Th. HODGKIN (2) pseudomembranas jam ab initio esse continuæ et pellucidæ texturæ, etiam jam cum vix solidæ dici possint, easque nec esse opacas neque cribriformes, sed earum genesin obtineri separatione seri, non vera aggregatione villorum. Observat pseudomembranas sæpe in initio formare cavitates, ad serum retinendum aptas, quamvis textura admodum tenuis et tenera id impedire videatur, ex quibus sequentia deducit: This fact appears to me to militate strongly against the idea entertained by Villermé, and sanctioned by no less an authority than that of Beclard, that the form of membrane or film is produced by the aggregation of an infinite number of minute flocculi. Were this the case, we would not only find most recent membranes, to a certain degree, cribriform, and incapable of retaining fluid, but, as Villermé seems to admit, they would be more or less opaque (3).

Addit tandem, Villermé considerasse, membranas pellucas, magis evolutas, quam ei revera statuere liceret. Insuper argumentum sumit ex ratione originis membrarum pellucidarum in embryone, cum quibus pseudomembranas comparat.

Harum formationem igitur non solum non peragi, uti hoc exhibuerunt Dupuytren et Villermé, sed contra fila-

(1) Т. ИУОСК. I. cit. lect. II. pag. 44. seq.

(2) Op. cit. Lect. II. pag. 45 seq.

(3) Op. cit. Lect. II. pag. 46.

menta tenera, pellucida, membranosa, ex plastica parte effusionis (lymp̄ha plastica Hunteri) eodem processu formari, quo sanguinis coagulatio, sibi persuasum habet auctor.

Non meum est, concludere, quid veri in utraque sententia censendum sit, id autem perspicuum in re, de qua egimus, videtur, quo fortasse discrimen minus evadet: processum formationis pseudomembranarum valde modificari posse pluribus causis, quae facile observantem fugiant, et igitur utramque theoriam de pseudomembranarum genesi veram, non autem absolute veram esse, ita ut altera alteram non excludat. Eo lubentius haec pono, affirmante egregio Cruveilhiero. Que de variétés sous le rapport du mécanisme des adhérences des sereuses! Tantôt l'adhésion a lieu au moyen d'une couche mince, granuleuse, reticulée, tantôt, au moyen, d'une couche épaisse de fausses membranes, qu'on peut diviser en plusieurs lamelles d'inégale épaisseur (1).

Quaestio adhuc magni momenti superest, quae imprimis in curatione herniarum agitata est: nempe, an pseudomembranae iterum absorberi possint post quartam periodum? — Plures observationes leguntur, ubi revera observatum sit, faustis sub conditionibus pseudomembranas absorberi posse. Ita E. J. THOMASSEN A THUESSINK (2), historiam herniae incarceratae enarrat; ubi intestinum gangraena erat affectum, et post herniotomiam faeces e vulnere exhibant. Sensim sensimque viam naturalem ingrediebantur; vulnus feliciter sanabatur aegrotantis sanitate restituta. Post 5 annos morbo alio succubuit, et sectio cadaveris nusquam accretionem intestini cum peri-

(1) Vid. dict. cit. verb. adhésions a Cruveilh. pag. 87.

(2) Geval van eene zonderlinge dijbreuk, met eenige aanmerkingen over de breuken met versterf verzeld. Koninklijk Nederl. Instituut. Eerste klasse VII deel.

tonaeo, seu ligamento Poupartii monstravit. Ita hoc in casu pseudomembranae perfecte evanuerunt.

Accedit altera ejusdem viri observatio (1), quae rem admodum explicat. Historia cum jam narrata multis nominibus convenit, ita ut eam hic afferre non opus sit. — Octo menses vero post sanationem aegra, quae et herniotomiam subierat, metrorrhagiae occubuit, et cadaveris sectio ostendit:

Ligamentum quoddam rotundum longitudinis  $1\frac{1}{2}$  pollicis, quod cicatricem internam, herniotomiae superstitem cum intestino antea incarcerato, et gangraena affecto, conjungebat.

Praeterea cl. SCHROEDER v. D. KOLK, qui in tabula pulcherrima praeparatum conservatum depinxit (2), haec animadvertit:

Memorable est, ligamentum, cui intestinum adhaeret, formare speciem tubi applanati, cum ubicunque peritoneo obtectum sit; et igitur esse veluti prolongationem, et coarctationem aperturae, quae ante in peritoneo aderat. Laminae vero tela cellulari concretae sunt, et hanc ob causam apertura in tubo penitus claudebatur, postquam intestinum jam concretum esse debuerat.

Porro monet concreciones post inflammationem praegressam sive herniam, motu peristaltico, faecibus, etc. in

---

(1) *Waarneming van een bijzonder geval van genezing van eene breuk met versterf verzeld, en eene daarop gevolgde anus artificialis. Koninklijk Ned. Instituut. N. Verh. Eerste Klasse, I. Deel.* Etiam Gendrin nullum accretionis indicium in tunica vaginali hominis invenit, quindecim ante mortem annis, ab hydrocele sanati. GENDR. l. c. III. pag. 463. § 1575. ROOSEBOOM. l. l. pag. 78.

(2) Vid. *Oper. citat.* TH. A THUËSSINK. pag. 12.

ligamentum extrahi (1), et verosimiliter, natura tale ligamentum penitus absorberi posse, quandoquidem et in foetu hominis et mammalium conjunctio cum vesicula umbilicali tandem ab omni parte solvitur (2).

(1) Scarpa *Abh. über die Bruche.* pag. 154.

(2) MECKEL, *Archiv.* t. III. heft 1. p. 34. seq.

## CAPUT II.

### *De vasis novis in genere et recentiorum de iis sententiis.*

#### § 1.

**V**asa, quorum origo durante tertia periodo (secundum Dupuytren) sane mirabile est phaenomenon et maxime notandum, in initio ab aliis vasis omnino dotibus suis externis distingui possunt. Rectum conservant in genere cursum; fere nullos edunt ramos; tenerrima sunt et adeo exigua, ut ea, quae cl. SCHROED. v. d. KOLK in lymphâ exsudata pleurae pulmonalis, adhuc molli et gelatinosa, nec cum plura costali adhaerente ope microscopii conspexit, vix  $\frac{1}{20}$  vel  $\frac{1}{30}$ . capilli diametrum adaequarent. Postea vero crassiora, sed minori numero inveniuntur (1).

Multi assumunt, vasa nova non gaudere tunicis. Dol-

(1) Vid. SCHR. v. d. K. op. cit. pag. 20. 21.

linger hoc non tantum affirmat, sed etiam una cum Gruithuizen vasis capillaribus parietes denegare videtur (1). Licet fortasse in initio res ita se habeat, non in conformatis vasculis desiderantur, et plures, inter quos LANGENBECK (2) et MECKEL, contrariae favent opinioni, nec ipse Döllinger in iisdem perseverat, describens, quo modo parietes formentur, monensque illos e sanguine parari e stratis quasi depositis. Si etiam sub microscopio tunicae illae non appareant, exinde concludere tantum possumus, illos parietes tantae esse tenuitatis, vel ob mollitiem tam parum differre a molli lymphæ plastica cingente, ut non satis lux frangatur, quo distingui possint. Comparat Döllinger rivulos sanguinis cum rivulis, qui per arenam profluunt, monens, eos nullis indigere parietibus; quod revera nil probat, nisi probari possit, rivulos in superficie lymphæ plasticæ decurrere; non autem per lympham penetrare; quibus ipse Döllinger non facile assentiretur. Si porro vasa nova lymphatica inspicimus, his ob nodulos parietes denegare non possumus; et nonne ex analogia idem de aliis novis vasis statuere liceret, cum natura viam plurimum sibi parem ingredi soleat, et saepius ope unius instrumenti pluribus consiliis, quam plurium instrumentorum ope uni consilio prospiciat. Praeterea vasa capillaria, et ita vasa nova, si non tunicis essent praedita, sanguis quaquaversum flueret, aut parietes magis magisque expanderet aneurismatis in modum.

Ast vero recentiori tempore parietes et tunicas vasorum

---

(1) DÖLLINGER, was ist Absonderung, und wie geschieht sie? Würzburg 1819.

GRUITHUIZEN, Medicinisch chirurgische Zeitung 1820 No. 44.

GRUITHUIZEN, Theorie der Fieber in eod. op. I. band. No. 30. p. 50.

(2) LANGENBECK, op. cit. pag. 104, 105.

post magis perfecta instrumenta optica revera distinxerunt varii auctores egregii, ac ipse Promotor etiam mihi dixit, se vasorum novorum parietes in lymphâ plastica bene distinguere potuisse; eos tamen esse tenuissimos summeque pellucidos.

Accedit, quod vasa lumine diminuuntur in pseudomembranis veterioribus et spasmus vel in capillaria, non in capillarium sanguinem agit (1).

Attamen hoc tempore de vasorum parietum praesentia vix ullum apud auctores superest dubium; non vero idem de formatione vasorum pronuntiandum: quot enim fuerint scriptores, qui de ea egerint, tot sententiae prolatae!

Duo imprimis in genera dividi possunt, quorum alterum formationem vasorum ex jam praesentibus explicat, alterum eam similem credit formationi vasulorum, seu potius circulationis in ovo.

## § 2.

Gendrin originem novorum vasorum actioni primigeniorum adscribit, et ex vasculis capillaribus apertis (?) sanguinem secerni et in pseudomembranam seu lympham concretam effundi credit; postea vero primum vasis rudimentum elongari sub forma striae irregularis, flexuosae, inaequalis (2).

Orientur igitur vasa quadam vi a tergo, quam non tantum ex vi cordis arteriarumque explicat, sed etiam ex quadam (?) actione peristaltica vasorum capillarium absorbentium in radiculis venosis.

(1) Vid. Тн. Нонгк., pag. 54.

(2) Gendr. I. c. T. II. pag. 431.



Laennec in egregio suo libro (1) ita genesin vasculorum describit. Eorum rudimenta prima sese ostendunt tamquam strias sanguineas irregulares, et majoris voluminis, quam vasa, ex quibus nascuntur. Hic sanguis ex vasis vetustis provenire, et in texturam pseudomembranarum penetrare videtur, quasi valida injectione impulsus. Si puncta pleurae partis, quae cum origine hujus striae convenit, accurate inspiciuntur, ibi rubra et quasi sanguine maculata, plus quam alibi inveniuntur. Demum laminae pseudomembranae tenuiores et minus opacae fiunt, striae etiam sanguinis cylindri accipiunt formam, et more aliorum vasorum in ramos distribuuntur. Diu vero conservant diametrum satis insignem.

Insuper et tunicarum formatio a Laennec e depositione fibrinae concrenentis explicatur.

Similem, ac praecedentes cl. SCHROED. v. D. KOLK, proposuit opinionem (2). Microscopii ope observavit, vasculorum minimorum lumen ad globulorum sanguinis continendum esse impar, et sequentia hac de re scripsit.

Horum vasculorum quaedam hic illic obtuse terminari videbantur, ut circuitus absolutus in illis nondum fuisse videretur; minime vero credimus, vasculum tale novum cum alio vasculo capillari partis oppositae, sed vetusto, et jam ante inflammationem praesenti, conglutinari; sed a partibus sibi oppositis v. c. a pulmone et pleura costali simul lympham exsudatur, et ab utraque parte nova vascula generantur, quae sese offendunt et connata concrenent.

THOM. HODGKIN sic novorum formationem vasorum describit (3).

(1) R. F. H. LAENNEC, traité de Pauscultation médiante, etc. ed. quart. pag. 283.

(2) Cf. SCHROED. v. D. K. op. cit. pag. 20 seq.

(3) TH. HODGK. l. c. lect. II. pag. 50. seq.

Si recens pseudomembrana a serosa, cui adhaeret, detrahatur, hanc quodammodo splendorem suum vulgarem et nativum amisisse videmus, et multa puncta sanguinolenta ex ea prodire. Parca sanguinis quantitas, quae tali modo e vasculis exit, non confuse exhalatur, sed in tenera substantia pseudomembranae recipitur, quae etiam plura puncta sanguinolenta ad superficiem profert, quae a serosa membrana detracta est. Haec puncta, quae in initio irregulariter disposita sunt, postea ramiformia evadunt, et dum in longitudinem excrescunt, vasa revera fiunt. Quia in substantiam mollem, gelatinosam, pulposam, parum resistentem elongantur, lumine augentur, atque crassiora sunt, quam vasa, e quibus originem ducunt. Hinc et rubor in pseudomembranis recenter formatis, et organismo praeditis. In ulteriori periodo vasa contrahuntur, et vix oculis sese offerunt, aut penitus ipsos latent.

Villermé eandem formationis recepit methodum. Quomodo, ait, pseudomembranae organismi fiunt participes? Num constituent fundum, in quem membranae exhalantis vasorum extrema prolongentur? Num generatio vasorum revera existat? (1) Ultima haec sententia, secundum illum auctorem, notionibus fere omnibus de circulatione adeo est adversaria, ut admitti nequeat, licet vasa nova reperiantur in membranis, dum communicare cum vasis vetustis, et ante inflammationem praesentibus nondum videantur (2) Adhaesio magis magisque increscens, et intima pseudomembranam inter et serosam inflammatam, nec minus filamentorum genus, quod aliquando mediam unionem formare visum est, potius suadent, ut priorem

(1) Quae sc. ex proprio fonte et a generali circulatione aliena originem peterent.

(2) Villermé op. cit.

assumamus opinionem. Saltem quam maxime eo affirmari videtur, vasis membranae serosae impletis, etiam pseudomembranarum vascula impleri.

Hucusque Villermé.

### § 3.

Plures vero enumerandi sunt, inter quos viri summae doctrinae, qui contrariam sententiam defendunt (1); quod nempe vasa nova in membranis spuriis ex proprio fonte proficiscantur, nec, nisi postea, cum vasis vetustis communicationem ineant.

Narrat BÉCLARD, vasa nova aequae ac in ovo formari; primo sese ostendere vesiculas, quae sensim secum jungantur; porro canales eas formare sine propriis parietibus, quae distingui possint; — tandem communicare cum vasis vetustis; insuper sive per quoddam temporis intervallum, sive semper differre ab aliis vasis; saepius autem gaudere simili textura (2).

HOME et HUNTER credunt canales oriri ex globulis aëris in massam semicoagulatae penetrantibus, dein eas cum primitivis vasis conjungi, tandem sanguine impleri (3).

DÖLLINGER vult, globulos sanguinis in lymphâ plastica formari ex substantia peculiari, quam materiam anima-

(1) Quam etiam sequitur noster J. J. Heterschij. — Vid. ejus commentationem de puogenesi et de pure. Traj. ad. Rh. 1841. pag. 24. 25. Ubi plures etiam auctores, qui de vasorum origine egere, enumerat. Weber in Hildebr. Anat. T. IV. pag. 475 seq. Arnold; Path. phys. T. I. § 149. Thomson, in Fror. Notizen. No. 783. aliique.

(2) BECLARD, *Anat. gén.* pag. 195.

(3) E. HOME. *Phil. transact.* 1818. pag. 180.

lem (Thier-stoff) vocat, eosque sine tunicis circumfluere et ita sanguinis formari rivulos, de quibus praecedenti § jam quaedam animadvertimus (1).

GRUITHUIZEN, qui inflammationis naturam in vera vasorum formatione posuit, maxima pro parte cum DÖLLINGER convenit.

KALTENBRUNNER (2) utramque, quam exposuimus, sententiam amplectitur, et sequentes positiones, experimentis suis, et observatione microscopica nitens, statuit:

a. Sanguis in strato interno in interstitiis rivulisque propriis formatur.

b. Vasa obruta a tergo a globulis circumstantibus abripiuntur.

c. Globuli a tergo in parenchyma irruunt, in quo proserpunt, donec ad formatum adpellant vas.

d. Rivulorum cornua vas attingunt formatum, ex quo globulos recipientes, in circulum generalem devehuntur.

e. Globuli, e canalibus sponte emissi, in rivulos et interstitia plus minus exculca incidunt, quae abripiuntur (3).

Rivulos itaque sanguinis sine actione directa vasorum vetustorum nasci observavit; nec minus eorum formationem a tergo, ut vocat, quae frequentissima est, et tam cito formatur, ut brevi tempore magnum novorum rete vasorum excultum sit (4).

---

(1) LANGENBECK. *Op. cit.* pag. 97. seq. DÖLL. *Libr. cit.* SCHROED. v. D. K. I. c. pag. 21.

(2) Testatur et ANDRAL, (*précis d'Anat. Path.* T. I. pag. 483), inveniri 1<sup>o</sup>. sanguinem sine tunicis profluentem, vel in pseudomembranis natum, vel ex vasis provenientem; 2<sup>o</sup>. vascula cum vasis ante inflammationem obviis communicantia; 3<sup>o</sup>. vasa, quae cum his anastomosin faciunt.

(3) KALTENBRUNNER l. c. § 121. pag. 26.

(4) Cf. id. l. c. § 112. pag. 26. 27.

**CRUVEILHIER** singulares de genesi vasorum et imprimis de iis ipsis ideae protulit, ut omittere eas non possimus.

Pseudomembranas, pleuram pulmonalem inter et costalem (1) sanguine tinctas, in quibus insulae aderant plurimae, quae secum invicem communicabant per canales, in crassiore pseudomembranarum parte formatos saepe vidit. Secundum illum auctorem, hae insulae sensim volumine diminuuntur; tandem disparent; canales minorem ostendunt diametrum, et brevi pseudomembranis insunt permulta vascula, quae ramificatione multiplici distribuuntur, ac mercurio aut cera impleri possunt. Hoc fecit **BOGROS** in pseudomembrana pleurae, quam conservat **M. BLANDIN** (2), et idem **CRUVEILHIERO** contigit, licet res, ut inquit, perquam sit ardua. Parva enim coagula sanguinis, in insulis obvia, et teneritudo parietum vasculorum difficultatem magnopere augent. Vasa sc. non, nisi partim, impleri possunt, et itaque plura vasa seorsum implere debuit **CRUVEILHIER**, ut pars tantum pseudomembranae impleatur.

Porro canales, secundum eum, pseudomembranacei solidi evadunt. Tum vasa revera esse videntur venae ob teneritudinem parietum, et decursum curvatum; hae venae quoad circulationem cum vasis subserosis communicant. Ita arte impleri possunt, systemate arterioso impleto, melius vero venoso. In ambitu pseudomembranae capillaria adsunt, quae ad truncos majores in media membranae parte praesentes sanguinem mittunt; ex quibus truncis alii rami proficiscuntur, qui iterum in capillaria eva-

(1) Vid. *Dict. de Med. et de Chir. art. adhérence* a **J. CRUVEILHIER** pag. 87.

(2) E quibus omnino patet, quanti pretii Francogallis videantur specimina ea, quorum feliciter vasa impleta sunt; eaque inter rariora habenda esse.

nescunt. Est verum venae portarum systema. Vasa arteriosa in pseudomembranis nunquam offendit CRUVEILHIER.

Tantum quoad ejus opinionem.

#### § 4.

Difficile sane est tantas componere lites, et accurate determinare, quaenam sententia majore probabilitate sese commendet; maxime autem mihi arridet opinio, quam hac de re mecum communicavit cl. Promotor, quam verbo exponere volumus:

Ad originem vasorum novorum probe intelligendam ex sententia cl. Promotoris accurate attendere debemus ad ea, quae durante nutritione locum habent; quibus genesis horum vasorum clarius explicari omnino videtur, quam eorum efformatione in embryone, qui naturae proprocessus valde obscurus vix aliam actionem obscuram bene illustrare potest. Durante omni nutritione exsudatio seri magis minusve albuminosi ex vasis capilaribus sequitur, quod serum tunc in tela cellulari in partis cujusdam interstitiis praesenti deponitur, cujus seri partes nutrientes apponuntur et solidescunt, dum aliae partes obsoletae et ad functiones vitales perficiendas impares, solvuntur, absorbentur, ac devehuntur; haec absorptio tum perficitur vasis lymphaticis, tum venis. Inde enim oritur sanguinis cognita mutatio, qua in venosum convertitur, id est, cum aliis partibus simul acidum carbonicum absorbent, quod probabiliter ibi formatur conjunctione oxygenii sanguinis arteriosi cum carbonico albuminis decompositi, uti LIEBIG opinatur; (1) vel quod saltem ex organo-

---

(1) Vid. LIEBIG. *Annal. der Chem. und Pharmac.* B. XLI. Heft 2. pag. 189. sqq.

nutriendo extrahitur. Igitur parietes vasorum capillarum arteriosorum transmittunt et exsudant per poros inorganicos serum nutriens; venulae capillares per similes poros recipiunt et absorbent.

Idem durante inflammatione locum habet; actione sc. adaucta non serum, verum lymphæ plastica majori copia exsudatur. Haec in initio est mollis, et exsudatio aucta ex omnibus vasorum capillarum punctis originem ducit. Jam semel deposita talis lymphæ plastica non tamquam pars mortua quiescit immutabilis, sed magis magisque increscit, solidescit, ac transit in membranam novam. Ergo mutationes internae in tali lymphæ perficiuntur; sc. sedata prima inflammationis vehementia, et vasis sensim iterum contractis post diminutam inflammationis acutiem, non ita lymphæ plastica, quam quidem serum sanum minori copia et pedetentim exsudari incipit. Illud serum exsudatum e capillaribus arteriosis penetrat per lympham; quibusdam locis solvit hujus albumen, ut sic canales primo ampliores sine tunicis quasi exaret et formet. Cum vero functiones nutritionis hic etiam incipiant, sine quibus omnis pars cito moritur, pars seri ramulis vicinis absorberi debet; caeterum tota lymphæ plastica exsudata sero continue exsudante oppleretur, et tandem penitus dissolveretur. Ita in lymphæ plastica circuitus humorum incipere videtur jam ante vasorum novorum formationem. Pars seri penetrat per lympham plasticam, et vicino loco venulis iterum resorbetur; jam lymphæ quibusdam locis emollitâ, viae exarari incipiunt, per quas serum copiosius fluit et redit; pori arteriolarum illis locis ampliores reddi, et viae novae seri in canales contrahi debent, quae viae tunc procreant et arcu facto ad venulas redeunt, illis potissimum locis, quibus absorptio efficacius peracta sit; et sic pori venularum eadem ratione distendi et solvi fere debent. —

Tandem parietes canalium novorum sero arterioso inspissari videntur, qua ratione tunicae oriuntur, atque arteriae novae, quae in venas directe transeunt; ergo circulatio nova in lymphæ plastica hoc modo perficitur, omnisque lymphæ plastica primitive exsudata in pseudomembranam novam convertitur. Ubi igitur oriuntur vel adsunt arteriae novae, etiam adesse debent novae venae, cum sine refluxu, id est, sine facta seri resorptione, effluxus et formatio canalium specialium cogitari vix possit.


Posset equidem contra illam explicationem opponi, in malis parasiticis, carcinomate, sarcomate et fungo medullari, uti hoc ex pluribus, iisque elegantissimis Prom. specimenibus patet, nullas dari venas in his malis; — sed haec singularis differentia oriri videtur, quod haec vitia ex systemate tantum arterioso procreant, atque vasa redeuntia etiam ad arteriolas minores redeant, ita ut venulae capillares saltem plures fere obstrui vel concrecere videantur; nullum enim dubium esse potest, quin etiam in his malis sanguis circulet, id est, ingrediatur et iterum effluat ex illis; videtur autem sanguis arteriolarum vicinis iterum tradi, ut in systemate arterioso novum et separatum systema condatur, et efformetur, quale systema portarum est inter venas; caeterum enim, (quod in pluribus cl. Promotoris specimenibus manifeste apparet), vix ratio excogitari possit, cur nunquam venarum impletio artificialis in haec vitia parasitica penetret, quod in pseudomembranis vero non adeo difficile. — Sed haec etiam novam partem novasque membranas aliis similes constituunt, mala vero ista novam omnino texturam, novum corpus, cujus analogon in reliquo corpore nullibi invenitur; unde et fabrica et vasorum decursus et efformatio differt.

Et si haec ita sint, summam etiam hic naturae praestantiam et sapientiam mirari debemus, quae ubicunque tam in maximis, quam minimis, aequali et regulari ordine procedat, semper altioris et Divini impressionem conservans.



## C A P U T III.

### *Novorum vasorum descriptio.*



#### § 1.

**S**pecimina, quae in tabula accurate ad naturam delineavi, omnia confecit cl. Promotor, quorum vasa pulcherrimo modo mercurio cerave implere ei contigit. E collectione sua egregia haec suasit, ut describerem, et delinearem, cum gradu, ut ita dicam, adscendente, in iis conspicuo, vasa nova ipsa, eorum formatio, proprietates, et inter se discrimina optime illustrari possint. Singula itaque specimina hoc capite describere conabor, primo agens de arteriis, venisque; secundo de vasis lymphaticis in hepate et in pulmone; tertio de aliis speciminibus, quae cl. Promotor conservat, et etiam ad novorum vasorum historiam pertinent.

#### § 2.

In quodam specimine, quod Promotor cl. conservat,

illustrare vasorum originem conatus est. Scilicet in casu enteritidis gravissimae, in quo intestina invicem molli tantum lymphæ plastica erant conjuncta, quæ lamellas et pseudomembranas quidem novas, sed molles et imperfecte adhuc formatas monstrabat, subtilissime et prudenter arterias implevit eo successu, ut ubicunque in lamellas materies rubra immissa transierit variis in punctis, sed ita ut nondum vasorum decursum monstret, sed congeriem punctorum irregulariter positorum; sic autem, ut pateat non vasa imperfecte impleta, quemadmodum hoc aliquando fit, talem separationis speciem præbere, sed quasi rivulos inordinatos quaquaversum diffluentes hic ortos fuisse. Demonstrat igitur exsudatione prægressa poros vasorum jam adeo fuisse expansos, ut materies immissa illos transire et initium rivulorum vix formatorum sequi potuerit. Nullibi massa informis effusa apparet, sed subtiliter penetravit per mollem substantiam. In alio enteritidis specimine pseudomembranæ intestina conglutinantes jam perfecte erant constitutæ. — In illo plures novæ arteriæ et inprimis venulæ conspiciuntur, quæ ab uno intestino ad alterum per pseudomembranarum viam transeunt; igitur, uti capitis præcedentis ultima § descripsimus, primo exsudatio informis seri vasorum genesin prægreditur, et tandem effusio rivulos, canales novaque vasa format.

Uteri pseudoplasmate sarcomatoso affecti vasacerâ implevit cl. Promotor, ut certior fieri possit de præsentia venarum in parasitis, in quibus nusquam eas offendit, sed ex vasis tantum arteriosis conformari semper concludere debuit (1). Summa itaque prudentia, præter arterias, et venæ implebantur, cerâ rubrâ arteriæ, coeruleâ venæ.

(1) Cf. SCHR. v. D. K. l. c. pag. 46.

Uterus autem ille chronica inflammatione diu affectus, plastica effusione hic illic concretus erat, potissimum cum intestinis. Plures pseudomembranae, seu libere relictæ, seu cum partibus vicinis conjunctæ, uteri superficiem peritonealem obtegebant.

Quid autem accidit?

Cera coerulea nullum in sarcomate vas venosum intravit; verum color ubicunque, et aequaliter rubescens per totum sarcoma tantum arteriolarum praesentiam indicat. Pseudomembranae vero non solum rubra, sed etiam vascula coerulea multa ostendebant; quae imprimis in tali pseudomembrana obvia erant, quae a parte uteri inferiori prope ostii marginem ad intestinum rectum tendebat et illi adhaerebat.

Haec membrana (1) erat longa, pellucida, non tantum ad rectum prolongata, verum etiam partim circum ejus superficiem obvoluta (2).

Arteriae permultae (3) per laminam uteri peritonealem distributæ sunt; ex iis proficiscuntur rami, qui in pseudomembranam transeunt (4). Deorsum tendunt, cursum plerumque conservant rectum, secum invicem anastomosi, sed raro confluunt. Ad intestinum rectum terminari videntur (5); sc. materies immissa non ulterius penetravit, quia tantum vasa uteri, non vero recti impleta sunt; quod si factum fuisset, probabiliter pseudomembrana supra rectum expansa, etiam vasa nova monstrasset.

Venularum rete tenuissimum et in lamina peritoneali uteri

---

(1) Vid. tab. fig. I. *a. b.*

(2) Fig. I. *d. d.*

(3) Fig. I. 1.

(4) Fig. I. 2.

(5) Fig. I. 3.

conspicitur (1). Pseudomembranae venulae multo tenuiores sunt, quam arteriae; — decursu arcuato, ramificatione multiplici, numero majori facile distinguuntur (2).

Notandum est, eas ulterius sese extendere, quam arterias; — adsunt enim, ubi hae nondum reperiuntur (3). Unde concludi potest, eas venulas etiam cohaerere cum venulis laminae novae rectum tegentis, quae non impletae sunt, quia hoc in specimine neque recti venas implevit cl. Promotor.

In alio specimine egregio, de quo jam supra mentionem fecimus graviditatis tubariae, in quo vasa, tam arteriae, quam venae feliciter implevit Prom., plures etiam pseudomembranae utero adhaerebant, per quas elegantissime tum arteriae tum venae perreptant innumerae. Hic etiam apparet, quod de omnibus illis speciminibus valet, venas novas ramificatione et anastomosi ab arteriis novis differre, ita ut accuratus observator fere solo decursu illas ab arteriis distinguere possit.

---

## § 2.

De generatione novorum vasorum lymphaticorum jam anno 1826 haec animadvertit Promotor aest.: «ea nova in pseudomembranis generari potius conjecerunt, quam experimentis demonstrarunt auctores; itaque operae pretium duxi hoc inquirere, licet difficile experimentum mihi videretur» (4).

Paucis tunc verbis describit cl. Promotor specimen, quod in tabula III figura delineavi.

---

(1) fig. II. 1.

(2) fig. II. 2.

(3) fig. II. 3.

(4) Vid. SCHR. v. D. K. I. c. pag. 43.

« In hepatitide chronica, hepate pseudomembranis diaphragmati accreto, mihi contigit, mercurium in vasa lymphatica impulsum in ipsas pseudomembranas propellere, ita ut vasa lymphatica nova in conspectum venirent; in his valvulae vel noduli jam conspici poterant, licet minores, quam in aliis vasis lymphaticis; cum arteriis et venis cursum magis rectum servabant, aliquando tamen paullatim convolutum; aliquando quaedam vasa lymphatica ad pseudomembranae originem sursum tollebantur; sed postquam in pseudomembranam transire inceperant, arcu facto ad hepatis superficiem redibant; in illo arcu plura vasa lymphatica ex hepate terminabantur (1); an talis locus prima vasorum lymphaticorum novorum origo?» (2)

Quibus haecce addere liceat :

Prope originem ad hepar ramo intermedio vasa lymphatica nova anastomosi confluunt (3). Per totum decursum nodulis, aut valvulis manifeste ab aliis vasis distinguuntur. Vas novum inferius (4) diaphragma perforat, et in superficie ejus opposita sub pleura decurrit (5), atque valvulis fortioribus et crassitie majori se distinguit. Tandem vas novum ex reti hepatis superficiali (6), arcu longiori facto, emergens, per pseudomembranam ad diaphragma tendit, non autem perforare videtur. Valvulae etiam in hoc vasculo clare perspiciuntur (7).

Elegantissimum omnium, quod de vasis novis conservat Prom. aest., specimen constituitur pulmonum parte, ad quam delineandam et describendam a Promotore mihi occasio

(1) fig. III. c.

(2) Vid. SCHR. v. D. K. l. c. pag. 43. §44.

(3) Vid. tabul. fig. III. 3.

(4) Quod sc. et per pseudomembranam *a* decurrit.

(5) Vid. fig. III. 5. (6) Vid. fig. III. 1. 2. (7) Vid. fig. III. b. 4.

data est; scilicet inter pulmonis sinistri et lobi inferioris ejusdem partem invenit cl. Prom. pseudomembranas novas (1) pulmonis inter lobos, pontis instar decurrentes.

Vasis lymphaticis feliciter mercurio impletis, sequentia in conspectum veniebant. Vasa lymphatica non tantum vetusta pulmonis (2), quae eo a novis distinguuntur, quod intra lobulos vulgo decurrunt, et majori volumine gaudent, mercurio impleta sunt, sed etiam rete quoddam mirabile singularis elegantiae, confertissimum, subtilissimum vasorum lymphaticorum, quod per plagam exsudatam, sive pseudomembranosam, pulmonis superficiem tegentem, perreptat, et diversis locis cum vasis lymphaticis superficiei pulmonis (3) cohaeret.

Rete hoc transit in sulcum inter lobum utrumque conspicuum (4); alia vero vasa per pseudomembranas, lobos conjungentes (5) transeunt, et eleganter tamquam per ponticulum ad lobum inferiorem tendunt. — In hoc rete mirabili vasorum lymphaticorum tantus est vasorum numerus et multiplex anastomosis, ut vix omnia in tabula exprimere potuerim; plura scilicet quasi strata supra semet invicem decurrunt, quae ubique tamen ramis diversis cohaerent; in pluribus noduli satis apparent, quod vix in tabula exprimi potuit. Hic autem vasorum lymphaticorum novorum praesentia extra omne dubium ponitur; non tantum enim cohaerent cum vasis lymphaticis vetustis, ut, tubulo in illis immisso, statim mercurius in rete illud confertissimum transierit, omniaque vasa mirabili sane ratione impleverit sine ulla effusione, sed etiam vasa,

(1) Vid. fig. IV. *a. b.*

(2) Vid. fig. IV. 1. 2. 3.

(3) Vid. fig. IV. prope 3. 5. 4.

(4) Vid. fig. IV. 6. 7.

(5) Vid. fig. IV. *a.* 8 et praecipue *b.*

quae omnia exinde oriuntur, et in profunditate in sulco inter lobos intermedio decurrunt (1), videntur ad nova pertinere, cum magis confertim et majori numero hic decurrant, quam in sano statu locum habet. Tum praecipue apparet in exigua pseudomembrana, quae ponticuli instar ab uno lobo ad alterum supra illud rete profundum decurrit. In alio specimine, quod confecit cl. Promotor, vasa etiam plurima lymphatica ex hepatis superficie per pseudomembranas ad diaphragma tendunt, ratione sane eadem, quam descripsimus in Fig. nostra III. In illo autem specimine vasa lymphatica nova quidem majore numero adsunt, sed simul multo tenuiora, valvulis vel nodulis subtilioribus et minoribus praedita; imo in quibusdam vasis vix hae valvulae apparent, quae in aliis manifestae sunt, ut nisi cohaesio cum vasis lymphaticis hepatis pateret, quaedam vasa lymphatica nova suspicionem, vas sanguiferum quoddam mercurio impletum esse, facile excitarent; quod tamen valvulis in aliis ramulis praesentibus satis reprobatum. — Ita etiam in tertio specimine ex vasis lymphaticis duo per tenuissimam pseudomembranam ad aliquam distantiam decurrunt mercurio impleta; in his parvulis vasis etiam noduli leviter apparent. Explicatio igitur, quam ex sententia Promotoris de origine vasorum novorum supra communicavi, etiam vasorum lymphaticorum originem illustrare potest. Monuimus enim, serum durante nutritione ex arteriolis exsudatum resorberi etiam partim vasis lymphaticis; hoc vero idem in pseudomembranis fieri videtur. Serum scilicet ab arteriolis effusum partim resorbetur venulis vicinis, unde oriuntur novae venae; partim vero vasis lymphaticis, ita ut eadem ratione probabiliter viae in lympham plasticam, simulac ad consistentiae suf-

(1) Vid. Fig. IV. 6, 7.

ficientem gradum pervenerit, exarentur, quae cum vasis lymphaticis cohaerent. Hae viae etiam probabiliter magis magisque contrahuntur, subtilissimosque efficiunt canales, qui recto plerumque ductu procedunt; longe minor enim in genere et praecipue in recenter ortis vasis lymphaticis est ramificatio, quam in venis. — Canales hi in initio sunt subtiles, tenuissimi, et uti videtur, aequales sine ullis valvulis. Postea demum vasorum tunicis jam efformatis, valvulae oriri videntur, quae in initio tam exiguae, ut noduli parum appareant, postea vero magis magisque increscunt, et aliis vasis lymphaticis similes fiunt. In initio formationis vasis lymphatici locus, ubi vas novum oriturum est, tumere videtur, uti apparet Fig. III c., quod probabiliter hoc loco copiosiori et agiliori absorptione explicandum est, unde, aequae ac de venis vidimus, poris dilatatis viae novae per tunicas vasis lymphatici exarare videntur, ut ita nova vasa lymphatica cum vetustis cohaereant.

Caeterum admodum est memorabile, quod e pluribus Promotoris speciminibus apparet, in carcinomate ipsoque etiam fungo medullari, in quibus nullae venae detegi possunt, plura tamen inveniri vasa lymphatica, uti apparet inter alia ex uno egregio, quod confecit cl. Promotor, specimine carcinomatis ventriculi; per ejus externam superficiem elegantissimum rete vasorum lymphaticorum decurrit; ex quo reti plura vasa lymphatica ipsum carcinoma subeunt, illudque diversa ratione perforare videntur, ut intus in cavo ventriculi ex ulcere per varia puncta mercurius effluerit, quod saepius Promotori contigit. Ita etiam in tuberculis fungi medullaris hepatis plura vasa lymphatica mercurio implevit, ita ut tali tuberculo dissecto in ipso centro adhuc plura vascula mercurio impleta apparerent. Igitur vasa lymphatica nova tum in pseudomembranis tum in malis parasiticis oriri omnino possunt.



Caeterum ex observationibus, quas mecum communicavit cl. Promotor, patere videtur, vasa lymphatica nova longe tardius in pseudomembranis oriri et nasci, quam vasa sanguifera. Cl. enim Promotori nunquam contigit in pseudomembranis recentibus vasa lymphatica mercurio implere, licet vasorum sanguiferorum impletio feliciter instituta fuisset, sed tantum in pseudomembranis, quae diu jam adfuisse videbantur. Hinc forsitan ratio petenda est, cur in pseudomembranis vasa lymphatica nova a sanguiferis etiam separatum systema constituent, cum demum oriri videantur, postquam arteriae et venae novae jam penitus formatae fuerint, cum quibus igitur non cohaerent. Numquam enim Promotori contigit, mercurim ex vase lymphatico novo in vas quoddam sanguiferum impellere. Num idem in foetu locum habeat, nondum constat; verum etiam probabile est, cum vasa sanguifera et imprimis venosa jam diu orta et conformata sint, ubi vix de ductu thoracico sermo haberi possit.


Jam quaestio orditur, quatenam sit horum vasorum novorum utilitas, et quid sibi Natura velit in construendis illis novis viis; ad quam quaestionem solvendam primo attendere debemus ad utilitatem ipsarum pseudomembranarum. Harum enim ope natura diversa organa ita conglutinat, ut ulterior seri exsudatio nimia inflammatione provocata impediatur, quem igitur effectum etiam in cura radicali Hydroceles provocamus, atque eadem ratione natura videtur effusionem seri nimiam post pleuritidem atque pericarditidem avertere. Hae autem pseudomembranae solverentur atque cito morirentur penitus, nisi sanguis latex ille vitalis accedere posset ad vitam in ipsis pseudomembranis alendam et sustinendam; verum praeter illam actionem aliquando egregiae esse videntur utilitatis, uti v. c. in phthisi, quando pulmonibus vomica orta partim destructis

circulatio impeditur, aut saltem per arctius spatium omnis sanguis corporis duci debet. Jam, uti probavit cl. Promotor, per vasa nova sanguis e pulmonibus in vasa intercostalia transit; quo fit, ut circulationis campus dilatetur, atque ita sanguis a pulmonibus extrorsum derivetur. Hac ratione igitur novas vias construendo circuitus minor pulmonalis in majorem universalem transit, quo spatii coarctationi et circuitus impedimento quodam saltem gradu succurratur (1). De vasis lymphaticis forsane simile quid possemus suspicari; ita v. c. vidimus vasa lymphatica nova ex hepatis superficie orta perforare diaphragma et iterum in pleurae superficiem decurrere (2); jam eadem ratione in alio specimine invenit Promotor vasa lymphatica pleurae diaphragmaticae, ope pseudomembranarum cum vasis lymphaticis pulmonum cohaerere, ita ut et hic nova vasa lymphatica orta fuissent. Post hepatis autem inflammationem et concretionem cum diaphragmate facile etiam oritur pleuritis diaphragmatica, ut cum altera diaphragmatis superficie pulmones concrecant. Si igitur jam nova vasa lymphatica oriantur, viae novae adsunt, per quas humor ex hepate via directa in pulmones transferri possit. Num igitur hac ratione explicari possent observationes, quando, si post hepatidem suppuratio in hepate oriatur, nonnumquam inopino aeger pus tussi ejiciat, atque tam perfecte restituatur, ut postea in pulmonibus nullum vitium detegi possit? fateor quidem hanc explicationem esse hypothesin ulterioribus observationibus confirmandam, sed quae tamen non omni probabilitate carere videtur; vasa enim lymphatica pulmonum superficialia cum internis cohaerent, quae juxta observationes cl. Promotoris rete construunt circa tubulos

(1) Observat. Anat. Pathol. Fasc. 1. pag. 86.

(2) Vid. Fig. III, litt. 5.

aëriferos et probabiliter etiam per membranam mucosam perreptant, unde repeti debet nigra materies, quae vasa pulmonum lymphatica, imprimis si respiratio molesta fuerit, uti in hydrothorace, semper implet, qualem similem materiem nigram non raro tussis ope emittunt; hinc non adeo absurdum videtur, pus, quod in ipsis vasis lymphaticis aliquando occurrit, ex hepate posse in pulmonibus deponi et ita tussi emitti.



# THESES.



## I.

Nervus sympathicus a nervis spinalibus natura sua differt.

## II.

Nervorum sensilium ganglia inserviunt ad functionem vegetativam nervis sensilibus conciliandam.

## III.

Mala parasitica, potissimum carcinoma et fungus medullaris, originem ex vita vegetativa, nervis primitive laesis, turbata, ducere videntur.

## IV.

Tartari emetici usus externus in tumoribus albis saepe omnino commendandus.

## V.

Ligamento lato, illud Hunteri rotundum ad arteriarum ligaturam praeferri meretur.

## VI.

Urinae investigatio accurata in morbis sine detrimento non negligitur.

—  
VII.

Alia medicina in aliis regionibus.

VIII.

In patriâ nostrâ medicus attentus sit in morbis phlogisticis curandis, ad causam, vel complicationem Rheumaticam, catarrhalem, scrophulosam.

IX.

Pessimum aegro est coelum, quod aegrum fecit.

Cels. L. II. c. 1. p. 43.

X.

Quo loco pleuritis semel adfuit, raro postea redit.

XI.

Recte Cruveilhier: en pratiquant l'opération de l'empîème la méthode par incision est préférable à la methode par ponction.

XII.

Superfoetatio etiam in utero bicorni vix admittenda videtur.

XIII.

Repositio funiculi umbilicalis prolapsi revera est commendanda.

XIV.

Senectus ipsa conducit ad vitam protrahendam.

---

## EXPLICATIO TABULAE.



### Fig. I.

- A. B. C. pars uteri inferior.
- C. ostii disfecti margo.
- D. E. pars intestini recti.
- a. b. d. d. pseudomembranae novae.
- a. b. pseudomembrana longa, pellucida, ad rectum tendens.
- d. d. pseudomembrana intestinum rectum tegens.
- s. arteriae novae ex arteriis (1) ortae, quae ductu, ut plurimum, longitudinali per pseudomembranam deorsum tendunt, et ad 3 terminari videntur.

### Fig. II.

- A. B. C., etc. uti in fig. priori.
- 1. Venae per peritoneum uterum tegens ductae.
- 2. Venulae plures novae, quae ramificatione majori et decursu arcuato ab arteriis novis satis differunt.
- 3. Terminus venarum novarum.

### Fig. III.

- A. B. C. segmentum ex superficie anteriori et superiori hepatis excisum.
- D. E. pars diaphragmatis, pseudomembranarum ope hepatis adhaerens.
- a. b. c. d. pseudomembranae novae, quarum ope diaphragma cum hepate cohaeret.

1. 2. Rete vasorum lymphaticorum superficiem hepatis perreptans.

3. Vasa lymphatica nova ex hepate orta, quae per pseudomembranam ad diaphragma tendunt.

Prope originem ad hepar ramo intermedio ambo vasa lymphatica confluunt. Per totum decursum nodulis, aut valvulis manifeste distinguuntur ab aliis vasis. Inferius vas novum diaphragma perforat, et in superficie ejus opposita sub pleura (5) decurrit, et hic loci valvulis fortioribus et crassitie majori se distinguit.

4. Aliud vas novum, etiam ex rete hepatis, arcu longiori facto, emergens. Per pseudomembranam ad diaphragma tendit; non perforare videtur. Valvulae etiam hic clare conspiciuntur.

Porro ad initium pseudomembranae e rete vasorum lymphaticorum conspicitur; probabiliter initium vasorum lymphaticorum novorum.

Fig. IV.

A. B. C. D. pulmonis sinistri pars.

E. F. pars lobi inferioris pulmonis.

a. b. novae pseudomembranae inter lobos pulmonum, pontis instar decurrentes.

1. 2. 3. Vasa lymphatica superficiei pulmonum inter lobos decurrentia.

4. 5. Rete confertissimum, subtilissimum vasorum lymphaticorum novorum, quae per plagam exsudatam seu pseudomembranam pulmonis superficiem tegentem perreptant, et diversis locis cum vasis lymphaticis superficiei pulmonis (1. 2. 3.) cohaerent.

Rete hoc transit in sulcum inter lobum utrumque perspicuum 6. 7.; atque alia vasa nova per pseudomembranas a. 8 et praecipue b. transeunt, et eleganter tamquam per ponticulum ad lobum inferiorem tendunt.

## CORRIGENDA.



pag.	praef.	reg.	13. <i>fertet</i>	lege fert.
« 1.	»	8.	<i>alterius</i>	» <i>ulterius.</i>
» 1.	»	14.	<i>lecteone</i>	» <i>lectione.</i>
» 5.	»	2.	<i>comovisse</i>	» <i>commovisse.</i>
» 9.	»	22.	<i>conglutenet</i>	» <i>conglutinet.</i>
» »	»	33.	<i>adde pag. 149.</i>	
» 10.	»	6.	<i>quae.</i>	» <i>qui.</i>
» 12.	»	11.	<i>membranas.</i>	» <i>membranis.</i>
» »	»	21.	<i>inspistato.</i>	» <i>inspissato.</i>
» 13.	»	19.	<i>tituto.</i>	» <i>titulo.</i>
» 14.	»	2.	<i>nascereturs.</i>	» <i>nasceretur</i>
» »	»	16.	<i>inflammatisnis.</i>	» <i>inflammationis.</i>
» 16.	»	28.	<i>cardacae.</i>	» <i>lardaceae.</i>
» 17.	»	16.	<i>hydrotorace.</i>	» <i>hydrothorace.</i>
» 31.	»	16.	<i>capilaribus.</i>	» <i>capillaribus.</i>
» 45.	»	1.	<i>sympathicus.</i>	» <i>sympathicus.</i>



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or introductory paragraph.

COINTEGRATION  
Faint, illegible text in the middle section of the page, possibly a title or a paragraph.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a conclusion or footer.

Fig. I.



Fig. III.




Fig. II.




Fig. IV.

